







9144

1777 16.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
FILIVS IN RE CERTA  
HERES INSTITVTVS ADMITTATVR  
AD QVAERELAM INOFFICIOSI  
TESTAMENTI

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXVI. APRIL. ANNO MDCCCLXXVII.

DEFENDET

IOANNES AVGVSTVS NÜTZERVS

ZSCHORTAVIENS.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.









AN  
FILIVS IN RE CERTA HERES  
INSTITVTVS ADMITTATVR  
AD QVAERELAM INOFFICIOSI  
TESTAMENTI

---



Non est, vt multis probemus liberis a parentibus deberi *legitimam* eamque sine onere relinquendam et quidem honorabili heredis titulo. Nihil dicamus de huius iuris origine, varia enim a nobis iam olim dicta: vnicam saltem controuerfiam, quae nobis obuenerit, decidendam fumamus. Scripferat trium liberorum parens condito ante mortem testa-

\* 2

sta.





stamento vnum ex iis heredem in fundo certo, reliquos ex  
asse instituerat. Mortuo postea patre tabulisque testamenti  
appertis, minus contentus paterna dispositione filius, laesum  
se existimabat atque quasi exheredatum. Qua intentione  
auxilium sibi positum putabat in quaerela inofficiosi testa-  
menti. An recte, examinatis pro vtraque parte rationi-  
bus, mox videbimus.

## §. II.

Causa, quae iustae quaerelae instituendae auxilium sua-  
dere videbatur, in eo erat posita, quod, qui in re certa in-  
stitutus, legatarii loco esset, vt est apud IUSTINIANVM  
in *L. 13. C. de hered. instituend.* Ait: *Quotiens certi quidem  
ex certa re scripti sunt heredes, vel certis rebus pro sua institu-  
tione contenti esse iussi sunt, quos LEGATARIORVM LO-  
CO haberi certum est.* caet. Iam inferunt, cum Imperator  
IUSTINIANVS in *Nou. CXV. cap. 1.* expresse reprobet  
titulum legati, fideicommissi, donationis ad relinquendam  
liberis legitimam suam portionem; ita enim exhibet *No-  
vella: Sancimus igitur, non licere penitus patri vel matri, quo  
vel aviae, proavo vel proaviae suum filium vel filiam, vel caeteros  
liberos praeterire, aut exheredes facere in suo testamento, nec  
si per quam DONATIONEM, vel LEGATVM, vel FI-  
DEICOMMISSVM, vel alium quemcumque modum dederit  
legibus debitam portionem: hos, qui in re certa heredes  
instituti, cum LEGATARIIS habendi, exheredatos vel  
praeteritos habendos esse, vt recte propterea quaerelam in-  
officiosi testamenti mouere queant. Habet hoc veri ali-  
quam speciem, quippe quod ex auctoritate Imperatoris legi-  
tima legari non debeat, institutio autem in re certa le-  
gatum*





gatum seu titulum quasi singularem efficiat. Nec desunt eruditi, qui in hanc opinionem inciderunt. Obseruauit, ni omnia fallunt, *Ant. FABRYM de Error. Pragmat. Dec. XIV. er. VI.* in hanc incidisse argumentandi vim, cum contra institutionem factam in legitima disputaret, refutatam a *Timaeo FABRO in Disputat. anniuersariis ad Instit. Disput. XIX. th. 10.* Sed iam vim argumentationis examinabimus.

## §. III.

Vehementer dubito, fore, vt his argumentis probari possit vsus quaerelae inofficiosi testamenti in proposita specie. Concedo quidem autoritate Nouellae *all. legitimam* titulo honorabili esse relinquendam. At *L. 13. C. de hered. instit.* idonee non probat, heredem in certa re institutum non nisi legatarium esse, imo titulum *pro herede* in re certa eundem esse, qui est *pro legato*. Est quidem verum, ipsum *Iustinianum* in *c. l.* expresse adfirmare, heredes scriptos in re certa *legatariorum loco* haberi. At ipse Imperator, quae adferuerat, latius exponit, videlicet in quibus causis legatariorum loco ii heredes habeantur. Scribit enim: *Alii vero ex certa parte, vel sine parte, qui pro veterum legum tenore ad certam vnciarum institutionem referuntur: eos tantummodo omnibus hereditariis actionibus uti vel conueniri decernimus, qui ex certa parte vel sine parte scripti fuerint, nec aliquam deminutionem earundem actionum occasione heredum ex certa re scriptorum fieri.* Ergo sicut legatarii nec hereditarias actiones instituunt, nec conueniuntur, ita comparantur cum iis heredes in re certa, vt neque hereditarias actiones instituunt, neque iis conueniantur, hoc est legatariorum loco habentur, non in aliis causis, in quibus veri heredes habendi sunt, ex-





cepto adhuc eo, si in reliquis coheredibus falcidiae quaestio  
veniat.

## §. IV.

Vt vero probemus, eum in re certa institutum ve-  
rum esse heredem, autoritate utamur *VLPIANI* in  
*L. 35. pr. π. de hered. instituend.* Scribit autem. *Dicebam  
receptum esse, rerum heredem institui posse: nec esse inutilem IN-  
STITUTIONEM. Sed ita, ut officio iudicis familiae er-  
ciscundae cognoscentis contineatur. nihil amplius eum, qui ex re  
institutus est, quam rem, ex qua heres scriptus est, consequi.*  
Expresse tribuit *ICtus* heredi in re certa iudicium familiae  
erciscundae. Hoc vero iudicio non legatarius proprie ex-  
periri potest, nisi forsan is, cui partitionis legatum relictum  
sit, sed agunt soli coheredes, qui sese inuicem heredes  
agnoscunt. Concludo itaque: si verum, quod heres in  
certa re institutus agere possit cum reliquis coheredibus iu-  
dicio familiae erciscundae, consequimur, eum verum esse  
heredem. Ex eo amplius infertur, filium qui in certa re  
institutus, pro vero herede instituto habendum, male ve-  
ro eundem in legitima tanquam exclusum aestimari.  
Patet amplius ex eo, quod heres in re certa institutus frua-  
tur iure veri heredis in *iure non decrescendi*. Si enim demus,  
patrem familias Titium in fundo heredem scripsisse, nemi-  
ne coherede posito, totam acquirat hereditatem Titius iure  
non decrescendi, seu ut *VLPIANVS* in *L. I. §. 4 π. de  
hered. instituend.* ait: *valet institutio detracta fundi mentione.*  
Idem et de iure accrescendi adfirmandum videtur. Si enim  
Testator Caium heredem scripserit in fundo certo, Sempro-  
nium et Seium in reliqua hereditate, repudiatam a Sem-  
pronio





pronio et Seio hereditatem, solus iure accrescendi acquireret Caius, quam acquirere non posset, nisi verus coheres esset, non obstante eo, quod in re certa tantum institutus erat. Nunquam autem legatariis ius accrescendi competet in hereditate. Vidend. ВАСНОВ, ad *Treutler. Vol. II. Disp. XII. Th. I. Lit. A.*

## §. X.

Quae cum ita sint, nihil est certius, quam filium a patre in re certa institutum titulo honorabili institutum esse, ut quaerela instituta nunquam inofficiosum dicere possit testamentum. At alia venit observatio. Videlicet verum est, filium non esse exheredatum, si in re certa heres scriptus: attamen adhuc cogitari potest, eundem laesum esse in legitima. Nam mortuo patre testatore, ubi hereditas adita, ante omnia videndum erit, an filius integram saluamque habeat legitimam. Quare si demus, omnem hereditatem XII. Millium esse aestimatam, adhuc fundus erit taxandus quanti sit pretii. Si ergo demus, fundum esse aestimatum IV. Millium imo et amplius: nemo negabit, si reliqui sint extranei heredes, filium saluam suam habere legitimam, ut ergo plane ipsi nulla actio sit concedenda. Sicuti vero hereditas et sic legitima aestimanda ex tempore, quo ius in heredem transfertur, facilis erit diiudicandi ratio, si contingant, ut tempore mortis patris absens sit filius et post quadriennium demum reuertatur, intra illud temporis absentiae spatium pretia fundorum imminuantur, ut trium millium aestimandus sit, reduce filio, qui tamen excedebat quatuor millium aestimationem tempore mortis, non videtur laesus, quippe statim ius in filium devolvebatur mor-





morte patris, eo vero tempore laesus in legitima non erat. Sed haec non interpretanda de ea causa, si coheredum culpa vel dolo rei aestimatio deminuta sit.

## §. VI.

Alia vero ratio est, si cum ex hereditate legitimae quantitas sit IV. millium, fundus vero non ultra trium millium aestimari possit: facile patet, hac specie filium laesum esse in legitima, quippe quam, accepto fundo, saluam non habet, cum mille adhuc desit. Cum vero introducta sit actio ad implendum, quod legitimae deest teste IUSTINIANO in *L. 30. pr. C. de inoff. testament. verbis: firmum quidem sit testamentum, liceat vero his personis, quae testamentum quasi inofficiosum vel alio modo subuertendum, quaeri poterant, id, quod minus portione legitima sibi relictum est, ad implendam eam sine ullo grauamine vel mora exigere; caet. et in L. 36. pr. C. eod.* nullum superesse potest dubium, filium laesum in legitima, cum res, in qua institutus, legitimae pretium non attingat, quamuis quaerela inofficiosi testamenti agere haud possit, recte tamen contra coheredes ad legitimae quantitatem supplendam omnino agere posse. Neque diuersitas in eo esse potest, vtrum in minori quanto quam est in legitima, heres sit institutus, an in re certa, quae sit minoris aestimationis, quam quanti debet esse legitima, heres scriptus. Satis, eundem legitimam non habere saluam.



Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle

004 568 583



3

fb  
sb:








1777 16.

B.I.G.



Farbkarte #13



TIO  
 TROVERSI  
 E CERTA  
 S ADMITTATVR  
 INOFFICIOSI  
 LENTI  
 ORDINIS GRATIA  
 S IDE  
 ENR. BREVNING  
 R. IVR. NAT. ET GENT.  
 AR. DVISBVRGENS.  
 IO  
 O IVRIDICO  
 NO CI<sup>o</sup>CCCLXXVII.  
 IDET  
 TVS NÜTZERVS  
 AVIENS.  
 IA E  
 LANGENHEMIA.

